



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 71. Ejusdem Myst. punct. 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](#)

## MEDITATIO. LXXI.

*De Conversione Magdalene. Luc. 7.*

*Myst. punct. 3.*

**C**ONG. Desiderium cognoscendi incredibilem Christi erga nos bonitatem.

**PRAEL. I.** Quomodo Christus remiserit Mulieri peccata, & quomodo illam defenderit contra Phariseum.

**PRAEL. II.** Mente consistere in loco convivii.

**PRAEL. III.** Petere gratiam veræ contritionis & contemnendi judicia hominum.

**P**UNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Videns autem Phariseus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens: hic si esset Prophetæ, sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Luc. 7.

**INTEL.** Consideremus in Phariseo illo superbiam, à quâ in alia vitiorum genera præceps fit decursus, veluti, in despectum aliorum, & judicia temeraria. Erat ex illo genere hominum, qui dicunt: *Recede longè à me, noli me tangere, quoniam mundus sum.* Isa. 52. **REFL.** Ex eodem superbie fonte oriuntur nostra judicia temeraria, & despectio aliorum, contrà id quod Christus dixit: *wolite judicare, ut non judicemini.* Matth. 7.

**VOL.** Amplectamur spiritum humilitatis, & oremus Deum: *Ex tollentiam oculorum ne deducam mihi.* Eccl. 23.

**PUN.**

**P**UNCTUM II. VERBA. MEM. Christus dixit: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc. 7.

INTEL. Hinc discamus præstantiam charitatis, & contritionis perfectæ. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Pet. 4. REFL. Examinemus charitatem, & contritionem nostram.

VOL. *Non diligamus verbo, neque lingua; sed opere, & veritate.* 1. Joan. 3. lacrymis scilicet, osculando, ungendo pedes Jesu; hoc est, membra ejus, quæ sunt proximi, & Fratres ejus.

**P**UNCTUM III. OPERA. MEM. Christus agit patronum mulieris, contrà Phariseum, adducendo parabolam duorum debitorum.

INTEL. *Vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, & neminem consolatorem.* Eccl. 4. hæc videlicet est pravitas hominum, à quibus miseri raro accipiunt consolacionem: At verò *Deus consolatur nos in omni tribulatione nostrâ,* 2. Cor. 1. REFL. Discamus hinc primum à Deo sperare certam consolationem, non ab hominibus: deinde, quod non debeamus sequi pravitatem plororumque hominum: nam Deus consolatur nos, *ut possimus, & ipsi consolari eos, qui in omni pressurâ sunt.* 2. Cor. 1.

VOL. Renovemus affectus erga tres illos virtutum gradus, desiderium scilicet paupertatis, contemptū, & humilitatis, & statim aderit non tantum consolatio à Deo, sed charitas quoque consolandi proximos.

COLLOQ.

COLLOQ. De 2. vexillis, petendo, ut per tres illos perfectionis gradus ascendere possimus ad Charitatem juvandi, & consolandi afflictos.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

## MEDITATIO LXXII.

*De quinque milium hominum refectio-*  
*ne. Matth. 14.*

Myst. punct. 1.

CONG. Desiderium cognoscendi magis bonitatem Christi in nos.

PRÆL. I. Quomodo Discipuli videntes tantam hominum multitudinem sine annona, rogarunt Christum, ut turbas dimitteret.

PRÆL. II. Videretur locum, & campos, ubi cum Christo erat illa multitudo.

PRÆL. III. Petere gratiam, proximè Christo adhærendi, eumque sequendi cum ingenti fiducia.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. *Turbæ secuta sunt eum pedestres de Civitatibus*, Matth. 14.

INTEL. Contemplemur h̄ic pulcherrimam speciem paupertatis. Turbæ erant pedestres. Non erant solliciti... dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus? Matth. 6. unum Christum quærebant. Inter has turbas intueamur Christum, & ipsum pedestrem, ac pauperem, humiliquidem constitutum loco; sed valde speciosum for.